

Johann Bacmeister

**Programma Quo Rector Universitatis Rostochiensis Johannes Bacmeisterus, D. Med. ... ad Exequias Quas ... Vir Dn. M. Joachimus Ernestus Helwigius, Scholae Oppidanae Con-Rector dignissimus, Parens moestissimus Liberis suis Carissimis Jacobo Remberto , & Dorotheae Catharinae paratas hodie cupit Omnes Academiae Cives quo par est studio invitat**

Rostochii: Kilius, [1677]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn771249098>


Druck Freier  Zugang



Bacmeister, J.,  
in J. E. Helwig.

Rost. 1677.

32







PROGRAMMA

Qvo

RECTOR

Universitatis Rostochiensis

JOHANNES  
BACMEISTERUS,

D. Med. & Sup. Math P. P. Facultatis

Medicæ Senior,

ad

EXEQVIAS

Qvas

*Carissimus ac Literatissimus Vir*

DN.

M. JOACHIMUS

ERNESTUS HELWIGIUS,

Scholæ Oppidanæ Con-Rector dignissimus,

Parens moestissimus

*Liberis suis Carissimis*

JACOBO REMBERTO,

&

DOROTHEÆ CATHARINÆ

paratas hodiè cupit

Omnes Academiæ Cives quo par est studio invitât:

ROSTOCHII, Typis Hæred. JOHANNIS KILII, Acad. Typ.



Ummus omnium rerū Moderator  
DEUS ab æterno maximam Mortalium  
curam gerens, circa hujus Universi crea-  
tionem omnia ordine ita disposuit, ut  
Sol cursum suum ad Septentriones infle-  
ctens tūm ad meridiem Æstates & Hye-  
mes efficeret, & ea duo tempora, quorū  
alterum hyemi senescenti adjunctum  
est, alterum æstati. Ex quibus temporum mutationibus,  
omnium, quæ terra mariq; gignuntur, initia, causæq; ducuntur.  
Nec poterat aliter fieri; alias enim nos miseri homunciones  
ab extremis ad extrema cum pernicie summā transissemus.  
Jā verò Ver corpora nostra ad subsequēntis Æstatis calorem  
summum, Autumnus autem ad futuri Hyemis frigus im-  
modicum sustinendum tolerandumq; præparat, sicq; hæc duo  
tempora intermedia reliquis temperamentum quasi addunt.  
Hanc Annorum quadripartitam vicissitudinem primum Tha-  
letem observasse Laërtius memorat, omniumq; temporum  
gratissimum, fecundissimum atq; pulcherrimum Ver esse  
eloquentissimum Veris Præco P. Virgilius Maro in suis omni-  
laudis genere consummatissimis versibus eleganter satis expri-  
mit, vernoq; tempori ipsius Mundi incunabula attribuit, quibus  
cum nil possit excogitari divinius, lectuq; sint dignissimi,  
hic inserere placet. *Ver adeo frondi nemorum Ver utile sylvis,  
Vere tument terra & genitalia semina poscunt. Tūm Pater omni-  
potens fecundis imbribus Æther Conjugis in gremium læta descen-  
dit, & omnes Magnus alie, magno commistus corpore fœtus, Avia  
sūm resonant Avibus virgulta caporis, & Venerem repetunt certis ar-  
menta diebus. Parturit almus ager, Zephyriq; tepentibus auris  
Laxant arva sinus, superat tener omnibus humor, inq; novos soles  
audent se gramina tuto Condere: nec metuit surgentes pampi-  
vus Austros, aut actum cælo magnis Aquilonibus imbrem. Sed tru-  
dio*

*dit gemmas, & frondes explicat omnes. Non alios prima crescentis origine Mundi illuxisse dies, aliumvè habuisse tenorem crediderim: Ver illud erat: Væ magnus agebat Orbis, & hybernis parcebant flatibus Euri.* Meritò nobis hæc in memoriam revocat præsens VERNUM tempus; quicquid enim hyberno sidere exaruerat jam vires recipit: quæ velut mortua frigore hætenus, novo tepore revocantur in vitam. Nunc & fluctus cum littoribus, & nubes cum Sole, & Venti cum aëre, & terra cum stirpibus & stirpes cum oculis in gratiam redeunt. Veteres Mercurium, cum palingenesiæ Deum crederent, Veri quoque præesse voluerunt, quod revera, ut antiquus Poëta cecinit, VERENATUS ORBIS est. Sed ut Ver aliis natale sit, Homini non mortuale esse non potest, qui nunquam præcul abest à morte. Non enim sumus aternitas sed homines, id est, particula Uuiversi, ut hora diei. Venire igitur nos oportet, ut horam, & præterire, ut horam. Nec magis mirum aut novum mori hominem, quam nasci. Ita enim comparatum est; quocumque oculorum nostrorum aciem convertimus, contemplari nobis licet, quosdam fructus mox ad maturitatem pervenire, demeti & in horrea deferri: nonnullos seriùs aliquantò perfectionem suam assequi: aliquos maligno infesti vermis dente cadivos fieri, marcidos emori, omniq; suo vigore privari. Sic etiam miserimi homunculi quam primum nascuntur, paulatim accrescunt, in floremq; ascendentes surgunt. Mox ad maturitatem properant, ut iterum decidant, gelidumque terræ domicilium, cui ortum sui acceptum ferunt, ingrediuntur. Nonnulli autem seu fruges ad justam ætatem perveniunt, adæquant annos vivendo Nestoris: quidam in ipso juventutis flore positi in mediâ stata ætate pereunt, & prolabantur. Interdum tenelli Infantes tanquam serpentis damnofo aculeo læsi abripiuntur, & in locum communem abeunt. Usq; adeò æternum est & perpetuæ memoriæ illud Virgilii *Hæu mortem invisam! quæ sola ultricibus armis & magnos parvos-*  
que



que teris! *quæ fortibus æquas imbelles, populiq; Duces, seniumq; iu-  
venta.* Argumentis hoc loco putare, remq; perse tam  
claram, quam sol est medio meridie, documentis illustrare su-  
pervacaneum est, intueamur novellos binos illos Surculos  
HELWIGIANOS Virgunculam scilicet & Puellum mellitissi-  
mos, qui hodie humandi proferuntur: Illi suoapte lugubri  
exemplo satis superq; hoc confirmabunt. Cùm viverent ad-  
huc & Clarissimis Parentibus, Avo Seni Venerando, omnibus-  
que tum sanguine junctis, tum aliis amicis spem futuræ fragis  
luculentam præbebant: Ast verò quantò majorem ipsis pe-  
pererunt lætitiâ, tanto acerbior eluctu jam illos mactat cada-  
verum illorum spectaculum. Casus non quidem est inusitatus,  
sed Parentibus quam tristis sit & luctuosus omnium optimè  
dijudicabunt, qui aliquando in simili naufragio sunt versati.  
An verò maxisimi Parentes eâ de causâ indignabuntur, an ex-  
postulabunt cum DEO, cum ejus Providentiâ, cum seculi for-  
tuna? Id quidem nec pietati aut fidei nostræ Christianæ, nec  
patientiæ conveniret, quam Servator nos docuit, nec ad ullam  
rem foret utile. Cõgitabunt Parentes, DEUM, quos amat,  
cum maximè exercere, nosq; ad hoc sacramentum adactos esse,  
ferre mortalia. Fit quidem non rarenter in hac vita, ut bonis,  
quos DEUS imperisè amat, eveniant tantæ calamitates, ac si  
omnibus sceleribus contaminati essent quibus, impii sunt ob-  
noxii: cum ex adverso homines impii nonnunquam, quos ta-  
men detestatur DEUS, illis perfruantur deliciis, quæ suis cul-  
toribus ipse promisit, imò Liberi illorum non raro felices esse  
videantur. *Sed est hæc una ex illis vanitatibus, ut loquitur Ec-  
clesiastes, quæ sunt super terram, quia sunt justi, quibus usu venit,  
ac si fecissent opus impiorum, & sunt impii, quibus usu venit, ac si  
haberent opus justorum.* Ut videamus non magni pendenda seu  
bona seu mala esse, quæ in hac vita bonis malisq; videmus esse  
communia, *sed illa bona quærenda, quæ bonorum, atq; illa maxi-  
mè fugienda mala, quæ sunt malorum,* ut elegantissimè beatus  
Augu-

Augustinus monet. Errant igitur vehementer, qui ab exter-  
nâ rerum specie iudicium de pietate aut impietate mortalium  
ferunt, cum in hoc Mundo feliciores plerumq; sint, qui hanc  
exercent, quam qui illam ex animo colunt. Quod vel exemplo  
suo testantur hodiè Vir Clarissimus ac Literatissimus Dn. M.  
JOACHIMUS ERNESTUS HELWIGIUS, Scholæ oppidanæ  
Con-Rector dignissimus, ejusdèq; Uxor Charissima MARGAR.  
CATH. Sandhagens/ Fœmina honestissima pudicissimaq;.  
Qvos enim Pater ex Charissima Coniuge stante Matrimônio  
susceperat Liberos, qvos Avorum Aviarumq; suarum majorem  
natu DOROTHEÆ CATHARINÆ, Minorem, JACOBI  
REMBERTI nominibus appellari volebat, variolis lethalibus,  
quæ in Filiola gangrenam infernam, in Filiolo vero dentitione  
comites habebant, quasq; adhibitis licet summâ diligentia  
studioq; remediis exquisitissimis appropriatissimisq;, ob ve-  
hementiam symptomatum extirpare ipse in consilium adhi-  
bitus non potui, correpti, morbiq; vehementia victi Spiritû  
Creatore suo & quidem prior die XXI. Aprilis hora XII. noctur-  
na, posterior verò XXIII. Aprilis circa horam X. nocturnam  
reddere coacti sunt, postquam ista annos tres, septem  
menses & XIV. dies, ille verò annum spatium cum dimidio  
exactè complexer. Usq; adeò brevis & fugax hominum  
vita, levis & fallax est mortalium lætitia. Quam enim Con-  
juges hi ex gemina hac elegantissima prole tam nativitatibus,  
quam educationis tempore voluptatem perceperant, ea nec  
perpetua nec sincera fuit, sed vaporis instar citissimè evanuit.  
Nos mœstissimis Parentibus fomenta apud grassantem dolo-  
rem parum profectura non corrogabimus. Cogitabunt saltem  
illi nihil novi sibi accidisse, nihil mali. Dicat Mœstissima Ma-  
ter cum Merope. *Non sola sum Mortalium, cui Liberi perierunt:*  
vel potius hoc ultimum emendet, & non periisse sed prævisse  
dicat. Recolligant animum luctu dejectum, seq; attollant &  
solentur illo Davidico: *non redibis Insans ad me, sed ego mi-  
grabo*

grabo ad illum. Nostis illa Servatoris: Non est Voluntas Patris vestri celestis, ut pereat unus de parvulis illis. Talium esse Regnum celorum. Nostis illud regii Prophetæ: Ex ore infantium & lactentium perfecisti tibi laudē. Neq; dubitandum est quin, Vestri cum centum quadraginta millibus habentibus nomen Agni & Patris in frontibus scriptum, stola candida amicti & agni sanguine dealbati consuetudine dulcissima individua Triados, quam laudibus efferunt omniumq; Electorum jam fruatur, Mundo ærumnisq; omnib; insultent, lætitiisq; incedant talib; quas nec oculis nec auribus mortalium quisquam usurpavit nec animo comprehendere valuit. Putate ò moestissimi Parentes, utramq; jam ad cœlos præmissam Prolem vos ita alloqui: Cur vos, charissimi Parentes, tantopere obitus noster afficit? Cum mortales nos & sã quidem lege natos fuisse sciatis, ut imminuentibus diebus nostris rursus ab hac vitã abiremus, cujusmodi necessitati universa quoq; subiecta videtis. Neq; existimetis volumus, nos immatura morte à vobis divulgatos esse, cum, quantum à DEO vitæ nobis indultum fuerat, vixerimus, quicujusq; dies pro arbitrio suo temperare gaudet. Et quid est diu vivere aliud, quam diu torqueri: Cogitate adversa casu & imprimis eruenti belli, quod vos omnes involuit, atrocitatem, quæ nos cuncta nostra morte declinavimus. Nulla hic arma furunt mutuis concursibus, nulli hic morbi aut infirmitates ægrotis corporibus incumbunt, non fallacia, non fraudes, doli, invidia hęc locum habent, sed DEUS est omnia in omnibus. Sic itaq; vos gerite, ut non tam obitum desideratissimorum Liberorum, quam felicitatem ipsorum, cui nunc transcripti sunt, ægre ferre videamini; Non vero id à vobis exigam, ut Liberorem vestrorum funera siccis planè oculis sequamini; sed nec Solonem Atheniensem in hoc domestico luctu imitemini. Is enim postea quam ex nuncio à Thalete subornato mortem Filii sui acceperat, ita consternatus fuisse dicitur, ut animo repente totus conciderit, humi prostratus jacuerit, capillos & barbam utraq; manu vellicarit, injectu pulveris ora foedarit, palliũ disciderit, planctusq; & ejulatu muliebri, cum summã spectantium admiratione & indignatione universum forum compleverit. Lugeatis non sine causa: cavete tamen lugeatis sine modo. Dati autem Liberi sancti in hanc lucem & quidem Filiola DOROTHEA CATHARINA Anno MDC LXXIII, die VII. Septembris hora septima vespertina; Filiolus verò JACOBUS REMBERTUS Anno MDC LXXV, die XXX. Octobris horã quartã matutina Patre quem supra nominavi Viro Clarissimo ac Literatissimo Dn. M. JOACHIMO ERNESTO HELWIGIO, Con-Rectore Scholæ

Scholæ Rostochienfis oppidanæ bene merito, Matre verò fecmina lætiffi-  
ma MARGARETHA CATHARINA Sandhagens. Avum pater-  
num salutarunt Virum Pl. Reverendum ac Excellentissimum Dn. M. JA-  
COBUM HELWIGIUM, Electoralem Brandenb. Consistoriale, Colonien-  
sis ad D. Petri Ecclesiæ Lutheranæ Pastorem primarium, ac Præpositum,  
nec non Vicinarū Ecclesiarum Gymnasiq; Inspectorem fidelissimum. Avi-  
am Paternam nominarunt Nobilem ac Clarissimam SABINAM TIEF-  
FENBACHIAM, quorum ille majores Bernaviæ, in Profapia Helvigia &  
Belliniâ, hæc Neo-Ruppini, in Tieffenbachia, Ludwigia & Krielia satis lon-  
gâ serie numerare poterant. Avus Maternus ipsis fuit Vir Pl. Reveren-  
dus & Clarissimus Dn. M. REMBETUS SANDHAGEN, Ecclesiæ Nico-  
litanæ hic Rostochii Pastor optimè merito, Reverend. hujus Ministerii Se-  
nior gravissimus. Viri Reverend. & Clarissimi Dn. GABRIELIS Sand-  
hagen/ in Ecclesia Borcholtusanâ, quæ est Westphaliæ, Pastoris dudum  
emeriti superstes filius. Avia vero Materna DOROTHEÆ Alwarts/ sexus  
sui ornamentum. Hisce orti Majoribus nativitate, Virtute, genere præ-  
stantissimis, cum membra Ecclesiæ triumphantis fieri non possent, nisi hæc  
fuissent membra Ecclesiæ militantis, eidem per baptismi sacramentum alte-  
ra secundo, alter vero proximo post nativitatem die immatriculati & po-  
stea à Parentibus benè atq; piè educati sunt. De DOROTHEA CATHA-  
RINA, moerissimus Dn. Parens refert, illam nomen & omen habuisse: Do-  
num DEI fuit, & omnia DEI dona ac bona quo ad vixit exercuit. Vixit  
DEO in tantâ pietate, quantæ tantula ætas vix capax. Catechismum Lu-  
theri non ad unguem modò tenuit, sed praxin illius quæstiones ac respon-  
siones non erubuit edere interrogantibus. Precibus vacavit ita, ut nil aliud  
nisi preces, vota ac suspiria de Jesuli Nativitate, Passione, Morte ac Resur-  
rectione Parentes, & præsentés alii non sine singulari delectamento accepe-  
rint. Morbi tempore aliquoties suspirasse ac in ore habuisse narratur no-  
bis sequentia, Jesu deine heilige Wunden / deine Quaal und bitter Tod/  
laß mir geben alle Stunden/ Trost in Leibes- und Seelen-Noth/ sonderlich  
am letzten Ende/ Hilf daß ich mich zu dir wende/ Trost in deinen Wunden  
finde / und dann fröhlich überwinde. Ach Jesu laß mich ein/ ich bin dein  
Täubelein/ laß mich in deine Wunden/ da ich stets Heyl gefunden/ verbirg in  
dieser Höle/ die hochberühre Seele/ so will ich fröhlich seyn / auch mitem in der  
Peln/ wann Menschen ironig toben / will ich dich Jesu loben/ und singen für  
und für/ lob sey Herr Jesu dir, Sonora & suavi sua voce in hæc avis dome-  
sticæ

sticæ Parentes haud parùm sæpe numero exhilaravit, dum Psalmos sanctos,  
dicta, preclus ad mensam vel in strato recitaret. Sed quid de filiolo JA-  
COBO REMBERTO dicendum. Mellitissimus erat Insans, festivitate inge-  
nii & hilariore indole facile omnes capiebat: verùm molliculis ac delicatis  
suis lusibus cachinnulisq; amantissimis quantum sui desiderium cordibus  
mœstissimorum parentū putatis illum reliquisse? Parentes utriusq; Avi no-  
men proprium in eo renovare volabant; sperabant enim, aliquando fore  
ut horum vestigiis insistendo, crescente ætate, familiæ honori, Ecclesiæ Rei-  
que publicæ utilitati esset. Sed in rei fugacis ac lubricæ possessionem Na-  
tura hominem detrusit, ut verè & serio vetus Poëtâ dixerit:


*Propter curas capulum positum est,*

*Nutrix tradit pollinctori.*

Interim tamen & omnes illi qui ad DEUM revertuntur, in familiæ numero  
nihilominus computantur, neq; extinguntur, sed ab infelicibus & calami-  
tosis duntaxat distinguuntur. Sed quid ego lumen Soli mutuo, aut in syl-  
vam ligna fero. Eâ pietate, prudentia & virtute Parentes non commitent,  
ut, quamvis tristissimo dulcissimæ sobolis gemellæ obitu affecti, luctu quoq;  
eam ob causam confecti, prostrati & abjecti videantur. DEUS est, ut ab  
initio hûc illud revocem, qui dedit, idem est qui abstulit, imo alius ad æterni-  
tatem secuturis prætulit. Is ipse dispulsis mœstitiæ nebulis radios gaudiū  
& lucis divinæ animis mœrore obductis immittat, ad afflictos erigat, & efficaci  
consolatione resectos confirmet. Nostræ, Cives Academici, partes erunt, ut  
frequenti conventu ad funis prosequendum testemur, quod vicem parentum  
tristissimorum doleamus, quod meliorem iis fortunam deinceps optemus,  
quod mortalitatem nostram recordemur & meditemur, quod salutem Aca-  
demiciæ, Civitatis, Provinciæ & omnium in iis viventium DEO opt. Max. pre-  
cibus in corde magis quam in ore natis commendemus.

*P. P. Rostochii, Sub Sigillo Rectoratus XXVI. April.  
Anno M DC LXXVII.*

Couventus fiet in templo Divæ Mariæ sacro  
hora I. pomeridiana.





GK







Augustinus monet. Errant igitur vehementer, qui  
 nā rerum specie iudicium de pietate aut impietate m  
 ferunt, cum in hoc Mundo feliciores plerumq; sint  
 exercent, quam qui illam ex animo colunt. Quod vel  
 suo testantur hodiē Vir Clarissimus ac Literatissimu  
 JOACHIMUS ERNESTUS HELWIGIUS, Scholæ  
 Con-Rector dignissim9, ejusdēq; Uxor Charissima M  
 CATH. Sandhagens/ Fœmina honestissima pudic  
 Quos enim Pater ex Charissima Coniuge stante Ma  
 suscepit Liberos, quos Avorum Aviarumq; suarum  
 natu DOROTHEÆ CATHARINÆ, Minorem, J  
 REMBERTI nominibus appellari volebat, variolis le  
 quæ in Filiola gangrenam internam, in Filiolo vero d  
 comites habebant, quasq; adhibitis licet summâ  
 studioq; remediis exquisitissimis appropriatissimis  
 hementiam symptomatum extirpare ipse in consili  
 bitus non potui, correpti, morbiq; vehementia vic  
 Creatori suo & quidem prior die XXI. Aprilis hora XI  
 na, posterior verò XXIII. Aprilis circa horam X, ne  
 reddere coacti sunt, postquam ista annos tres  
 menses & XIV. dies, ille verò annum spatium cur  
 exactè complexer. Usq; adeò brevis & fugax  
 vita, levis & fallax est mortalium lætitia. Quam e  
 juges hi ex gemina hac elegantissima prole tam n  
 quam educationis tempore voluptatem perceperat  
 perpetua nec sincera fuit, sed vaporis instar citissim  
 Nos mœstissimis Parentibus fomenta apud grassan  
 rem parum profectura non corrogabimus. Cogitabi  
 illi nihil novi sibi accidisse, nihil mali. Dicat Mœsti  
 ter cum Merope: *Non sola sum Mortalium, cui Liberâ*  
 vel potius hoc ultimum emendet, & non periisse se  
 dicat. Recolligant animum luctu dejectum, seq; a  
 solentur illo Davidico: *non redibit Infans ad me,*

